



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. De Impedimentis dirimentibus in specie; ac Primo de Errore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ARTICULUS II.

De impedimentis dirimentibus in specie. Ac primo de Errore.

- I. Recensentur, & explicantur quatuordecim impedimenta dirimentia.
- II. Error potest esse multiplex.
- III. Error personæ jure naturæ irritat matrimonium, non vero alia Sacramenta, nec alios contractus.
- IV. Quomodo fuerit validum matrimonium inter Jacob, & Liam, putatam Rachelem?
- V. Error circa Personam, quamvis sit comitans, adhuc matrimonium reddit nullum.
- VI. Si dat causam contractui error circa qualitates Personæ, matrimonium non est irritum; secus vero si qualitas apponatur per modum conditionis.
- VII. Hinc descendit resolutio celebris casus a Tabiena propositi.
- VIII. Reliqui contractus, in quibus error dat causam contractui, sunt irritandi; at non matrimonium, utpote insolubile; nec Professio Religiosa.

I. **D**iximus in proœmio hujus Quaestionis, præter impedimentum ætatis, quatuordecim impedimenta dirimentia enumerari. Primum est *Error*, videlicet Personæ; ut si pro Berta detur Teresia; quia talis error aufert consensum requisitum jure naturæ ad hunc contractum. Error autem conditionis liberæ irritat matrimonium jure Ecclesiastico juxta sententiam communem, videlicet quando alter contrahens putatus liber, est conditionis servilis, seu mancipium: At quando quis expresse non vult consentire, nisi in Personam tali conditione affectam, verbi gratia, quæ sit Virgo, Dives, Nobilis, &c,

in hoc casu ipsa conditio transfret in conditionem Personæ, & error circa talem conditionem irritat contractum, ut ostendimus cum de Sponsalibus quaest. 2. art. 8.

Secundum est, *Conditio*, scilicet servilis; Irritum enim est matrimonium contractum cum mancipio, ignorata ejus servitute, ut diximus.

Tertium est, *Votum*, videlicet Castitatis sponte emissum, & solemne per susceptionem Ordinis sacri, aut per professionem solemnem; necnon votum simplex castitatis in Religione approbata, ut in Societate Jesu; de quo plura diximus cum de Sponsalibus quaest. 2. art. 4.

Quartum, *Cognatio*, sive legalis, sive spiritualis, sive carnalis.

Quintum, *Crimen*, videlicet homicidium conjugis, ut cum altero contrahatur, prout explicabimus art. 7. Similiter adulterium cum fide data de incundo matrimonio post mortem conjugis; Et Raptus mulieris.

Sextum, *Disparitas cultus*, seu religionis; hæc enim religionis disparitas irritat matrimonium baptizati cum non baptizato, & impedit matrimonium catholici cum hæreticis.

Septimum, *Vis*, seu metus gravis injuste inculsus ad matrimonium extorquendum; de quo satis superque quaest. super. egimus, cum de consensu coacto art. 2.

Octavo, *Ordo*, videlicet Sacer, seu major, ut diximus in tertio impedimento Voti.

Nonum, *Ligamen*, qui enim cum una conjuge est ligatus, invalide contrahit cum aliâ.

Decimum, *Honestas*, seu Justitia publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere matrimonium cum consanguineis in primo gradu illius, cum qua contraxit sponsalia; & cum consanguineis usque ad quartum gradum.

dum illius, cum qua contraxit matrimonium ratum, ut explicavimus quæst. 1. de Sponsal. art. 7.

Undecimum, *Affinitas*, seu propinquitas Personarum, quæ si nascatur ex copula licita, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive; si vero ex illicita, usque ad secundum gradum tantum.

Duodecimum, *Impotentia*, si sit perpetua, & matrimonium antecedit: In dubio autem, an sit perpetua, vel temporalis, datur a jure triennium ad experiendum. Impuberes tamen, si habeant usum rationis, jure tantum Ecclesiastico invalide contrahunt ante annos pubertatis.

Decimumtertium, *Clandestinitas*, de qua latis superque quæst. super. art. 3.

Decimumquartum, *Raptus*, ut diximus in impedimento quinto Criminis. Nunc de singulis seorsim agendum, incipiendo ab impedimento erroris.

II. Notandum tamen primo, Errorem in matrimonio posse esse, vel circa Personam, seu circa substantiam rei, ut si intendas contrahere cum Berta, & contrahas cum Teresia; vel circa qualitates, ut si intendens contrahere cum Berta divite, pulchra, Virgine, & contrahas cum illa paupere, deformi, corrupta.

Notandum secundo, errorem conditionis servilis non esse errorem circa substantiam, sed circa qualitatem; ut si contrahas cum Berta, putata libera, quæ tamen sit serva. Verum jure positivo ille solus error circa qualitatem reddit irritum matrimonium, seu est impedimentum dirimens, ut explicabimus art. sequenti; alii vero errores circa reliquas qualitates non reddunt matrimonium irritum, neque jure naturali, neque positivo; nisi quando transirent in errorem Personæ, ut mox explicabimus.

Notandum tertio, errorem aliquan-

do dare causam contractui, aliquando incidere in contractum, ut explicavimus cum de Sponsal. quæst. 2. art. 8. Dat causam contractui error, quando est causa, cur aliquod velimus, quod, cognito errore, neutiquam vellemus; ut proinde deprehenso errore, contractus non fieret. Incidit vero in contractum error, si cognitus tempore contractus hunc non impedisset, quamvis diversimode contractus fuisset celebratus. His explicatis:

III. Quæritur primo; Quonam jure error Personæ irritet contractum matrimoniale?

Respondeo, certum esse apud Doctores, quod matrimonium irritet non solum jure Ecclesiastico, ex *cap. Tua nos, de Sponsal. causa 26.* sed etiam jure naturali. Ratio est, quia jure naturæ contractus est nullus, quando deficit consensus contrahentium; atqui quando habetur error circa Personam, cum sit circa substantiam contractus matrimonialis, deficit consensus; Nam *leg. Si per errorem ff. de jurisdictione omnium Judicum*, habetur: *Nihil est magis contrarium consensui, quam error*; idest circa substantiam; Et *leg. Cum Testamentum*, dicitur, *Errantis nullus est consensus*: ergo matrimonium cum tali errore contractum jure naturæ est invalidum.

Oppones: Alii contractus, & alia Sacramenta non irritantur, si habeatur error circa Personam; ergo neque matrimonium. Antecedens patet; nam si vendatur equus, aut si confertur baptismus, vel absolutio Paulo, qui putatur esse Joannes, tam contractus venditionis, quam baptismus, vel absolutio sunt valida, quamvis cum errore circa Personam. Immo emptio, & venditio sunt valida, etiamsi error sit circa materiam, ut si ematur cera Neapolitana pro Veneta, quando scilicet sunt ejusdem valoris, & utilitatis.

Con-

Confirmatur, quia conjugium Jacob cum Lia fuit validum; & tamen Jacob putavit Liam esse Rachelem, pro qua septem annis servivit; ergo error circa Personam non irritat matrimonium.

Respondeo, concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in contractu matrimonii error circa Personam est circa substantiam, & objectum principale contractus; se- cundum vero in aliis contractibus, & Sa- cramentis: Nam, qui, verbi gratia, baptizat, ordinarie intendit tantum baptizare Personam praesentem, quae- cumque illa sit; & qui vendit equum, intendit solum tradere equum danti pretium, quicumque ille sit; & qui emit ceram, intendit emere ceram, quae sit tanti valoris, & utilitatis, si- ve sit Neapolitana, sive Veneta; unde in his casibus error circa perso- nam, aut circa materiam, non est cir- ca objectum principale contractus: Contra vero, qui contrahit matrimo- nium, respicit per se, & primario personam tradentem suum corpus, utpote quae valde conducit ad substan- tiam contractus, & ideo ejus error dirimit matrimonium.

Ubi adverte, quod etiam in aliis contractibus error circa substantiam, seu circa objectum principale reddat illos invalidos; Nam si quis, verbi gratia, donet aliquid titulo consanguini- tatis, vel paupertatis, donatio erit nulla; Si Donatarius vere non sit con- sanguineus, vel pauper; & ideo com- munitur Doctores docent cum Sanch. lib. 7. disp. 18., quod qui fingit pauper- tatem, non potest retinere sibi elee- mosynam datam titulo paupertatis, sed restituere illam debet; nisi forte eleemosyna esset modica; quia tunc, qui dat eleemosynam, non solet illam conditionem implicite apponere, si est pauper: Nec tenetur ad restitutionem, qui vere pauper cum sit, fingit san-

ctitatem, aut vulnera, ut eleemosy- nam extorqueat; quia sanctitas, & vulnera illa apparentia sunt solum mo- tivum impellens, non vero causa fi- nalis eleemosynae, quae datur; etenim eleemosyna datur huic, quia pauper est, non vero si est sanctus, aut si est vulneratus; quamvis sanctitas, & vul- nera putata impellant ad dandum. Quod si aliquando vulnera illa appa- rentia essent causa finalis alicuius ma- gnae eleemosynae, certe ad restitutio- nem teneretur, qui vulnera fingeret.

IV. Ad confirmationem dico, Liam, & Jacob tunc valide contraxisse ma- trimonium, quando post concubitum, deprehenso errore, consenserunt in matrimonium: Non peccarunt tamen in concubitu praecedente matrimo- nium, quia cum errore invincibili af- fectu maritali se cognoverunt; Jacob enim putavit, illam esse Rachelem, quam expectaverat, Lia vero puta- vit, potuisse valide contrahere matri- monium ex lege primogenitorum; nam, ut ait Glossa in causa 29. quest. 1., consuetudo tunc erat, primogeni- tam primo nuptui dare.

Ex dictis sequitur, non posse Pa- pam efficere, ut error Personae non irritet matrimonium; cum nec pos- sit Papa tollere jus naturae, nec pos- sit supplere defectum talis consensus; sicut potest in aliquibus aliis contra- ctibus spectantibus ad bona externa; unde illos potest revalidare: Et di- sparitas est, quia potest aliquando Ec- clesia, vel Papa disponere de quibus- dam bonis nostris externis, nobis in- vitis, non tamen de corporibus no- stris in ordine ad usum matrimonii. Et ratio est, quia habet Papa domi- nium indirectum in bona externa, non vero in nostra corpora relate ad hunc finem. Solus Deus habet in no- stra corpora dominium relate ad u- sum matrimonii; & ideo solus Deus potest supplere defectum consensus ma- tri-

rimonialis, seu obligare Titium, & Bertam sine proprio consensu ad ea, ad quæ obligarentur, si matrimonium contraherent.

V. Quæritur secundo; An etiam error circa Personam incidens in contractum, seu comitans, irritet matrimonium? Si verbi gratia, Jacob contraheret cum Lia, quam putat esse Rachelem, sed ita esset affectus ad Liam, ut, si sciret, illam esse Liam, libentius cum ea contraheret. Et idem dubium est de errore conditionis servilis comitante; quando scilicet Liber contrahit cum Serva, ignorando ejus conditionem servilem, sed ita est dispositus ad contrahendum, ut etiam si sciret, eam esse servam, cum ea contraheret?

Respondeo cum communi apud Sanch. lib. 7. disp. 18. contra Comit. lib. 1. quæst. 121., etiam tale matrimonium esse invalidum, quamvis Jacob diceret expresse Lia, quam putat Rachelem, Ducerem libenter te, si scirem te esse Liam; dummodo non habeat intentionem contrahendi cum femina præsentem, quæcumque illa sit, sive Lia, sive Rachel, sive serva, sive libera. Ratio doctrinæ est, quia etiam cum tali errore comitante deficit in Jacob consensus absolutus ducendi Liam requisitus ad valorem matrimonii cum illa: ergo tale matrimonium cum Lia contractum est invalidum; Sicut enim, qui percutit Clericum, quem putat Laicum eo animo, ut libentius illum percuteret, si sciret esse Clericum, non incidit in excommunicationem, excusante ignorantia comitante, sicut nec incidit in excommunicationem, qui sine actuali percussione dicit: Percuterem Clericum, si adesset; ita prorsus in casu nostro, nec contrahit matrimonium cum Lia, qui dicit: Contraherem cum Lia, si adesset; nec contrahit, qui huic animo conditionato superaddit contra-

ctum cum Lia putata Rachele; Nam neque consensus ille conditionatus, neque consensus superadditus absolutus cum errore personæ, neque uterque simul sufficiunt ad matrimonium.

VI. Quæritur tertio; An sit validum matrimonium celebratum cum errore qualitatis dante causam ipsi contractui? Verbi gratia, si Titius contrahat cum Berta, quia putat, eam esse nobilem, divitem, pulchram, secus non contracturus.

Respondeo cum communi affirmative; nisi aut qualitas, in qua erratur, apponatur per modum conditionis in ipso contractu, aut error qualitatis transfret in errorem personæ, ut mox explicabimus. Ratio doctrinæ est, quia toties contractus est validus, quoties subsistit ejus substantia, circa quam versatur; atqui quando error est solum circa qualitates, subsistit substantia contractus; quia contractus matrimonialis primo, & per se fertur in personam, cum qua contrahitur, & qualitates personæ se habent tantum per modum rationis motivæ; ergo si error sit tantum circa qualitates, quamvis det causam contractui, adhuc matrimonium est validum; habetur enim in tali casu voluntarium simpliciter, & solum involuntarium secundum quid.

Quod si qualitas apponatur per modum conditionis, certum est, quod matrimonium sit invalidum. Nam quando Titius dicit Bertæ; Duco te, si vere es nobilis, jam deficiente nobilitate, deficit consensus absolutus essentialiter requisitus ad valorem matrimonii: Similiter si error qualitatis transeat in errorem Personæ, matrimonium est invalidum; quia deficit consensus circa substantiam matrimonii, eo quod error circa Personam impediatur, ut diximus, consensum circa substantiam matrimonii: Verbi gratia, si Titio propositæ fuerunt nuptiæ cum

cum Primogenita Pauli, & deinde contrahat cum Secundogenita, quam putat Primogenitam, error qualitatis transit in errorem personæ, quia animo sibi proposuerat Titius ducere aliam personam, nempe primogenitam. Et universim, ut docent Sanch., Con., Perez disp. 20. sect. 4., error qualitatis transit in errorem personæ, quando intellectus contrahentis a qualitate aliqua personæ cognita determinatur, ut talem personam concipiat, cum qua intendit contrahere, & tamen externum contractum celebrat hic, & nunc cum alia persona.

VII. Hinc deciditur celebris ille casus adductus a Tabiena V. *Impedimentum*. Titius petiit a Cajo secundogenitam valde pulchram, Cajo illam negavit, promisitque illi primogenitam, quæ erat deformis; Titius vero antequam cum primogenita deformi contraheret, voluit, ut cuidam Amico ea ostenderetur; Cajo autem pro primogenita deformi ostendit Amico illi secundogenitam pulchram; Unde Titius audita ab Amico ejus pulchritudine, contraxit cum primogenita, quam falso credebatur pulchram: Respondent Tabiena, Con., Perez, Sanch. disp. 18., matrimonium hoc esse validum; quia error fuit solum circa qualitatem pulchritudinis, nec error qualitatis in hoc casu transibat in errorem personæ; nam consensus Titii non poterat dirigi in secundogenitam; quippe quæ ei denegata fuerat a Cajo.

Quod si fingamus, secundogenitam non fuisse denegatam, sed solum promissam fuisse a Cajo primogenitam; & deinde pro illa Cajum ostendisse Amico secundogenitam, in tali casu Tabiena dubitat, an matrimonialis contractus factus cum primogenita fuisset cum errore personæ, atque adeo dubitat, an matrimonium fuisset invalidum: Con. tamen, & Perez do-

cent, neque in tali casu haberi errorem personæ; atque adeo adhuc matrimonium cum primogenita fore validum. Ratio est, quia intentio Titii semper ferebatur in primogenitam sibi promissam, quam falso credebatur Amico ostensam, & esse pulchram.

Si tamen Cajo plures filias habens nullam in particulari promississet, sed unam ostendisset Amico, aliam deinde traderet in matrimonium Titio, docet Sanch., matrimonium esse invalidum; quia involvit errorem personæ; etenim intentio Titii determinata fuit ad filiam ostensam suo Amico. Si demum Cajo promississet Titio unam ex filiabus suis, quam ostenderet Amico, & deinde ostendisset Amico aliam sceminam, non vero ullam ex filiabus suis, esset etiam invalidum matrimonium Titii, tam si contraheret cum illa femina ostensa, quippe quæ non erat filia Caji, quam si contraheret cum aliqua alia filia Caji, quippe quæ non erat illa ostensa.

Oppones: Contractus stricti juris initi per dolum dantem illis causam sunt invalidi ex *leg. Et ineleganter ff. de dolo*: ergo etiam matrimonium est irritum, si dolus, vel error circa qualitates personæ dat illi causam: Quare sicut, qui fingendo paupertatem extorquet eleemosynam, non acquirit dominium eleemosynæ ex defectu consensus in conferente; Ita qui fingendo divitias, vel nobilitatem extorquet contractum matrimonialem, non acquirit dominium in corpus alterius ex defectu pariter consensus in contrahente.

Confirmatur; quia Sponsalia contracta per dolum dantem illis causam, sunt invalida; ergo etiam matrimonium.

Respondeo distingo antecedens: Contractus initi ex dolo, vel errore dante illis causam sunt invalidi, si error sit circa substantiam contractus, ut

ut in casu adducto de conferente elec-
mosynam fingenti paupertatem, con-
cedo; Si error sit extra naturam con-
tractus, & non circa substantiam il-
lius, ut est error circa qualitates
personæ in contractu matrimoniali,
nego antecedens, & consequentiam.
Verum quidem est, quod contractus
bonæ fidei iniiti ex dolo dante cau-
sam contractui sint irritandi, etiamsi
dolus versetur circa accidentia, non
circa substantiam contractus; quia ta-
men matrimonium ex institutione di-
vina est indissolubile, nec irritum est,
nec irritandum, quando dolus dans
causam contractui versatur circa acci-
dentia.

Ad confirmationem diximus, cum
de Sponsal. ex Less., & Con., prob-
abilius esse, quod sponsalia etiam
sint irritanda, ut reliqui contractus,
non vero irrita, quando dolus, sive
error dat causam contractui Sponsali-
tio; Verbi gratia, si quis ratione di-
vitiarum promittat matrimonium Ber-
tæ simulanti se divitem. Et ratio est,
quia in tali casu non deficit consen-
sus circa substantiam, nec deficit vo-
luntarium simpliciter: ergo contractus
non est irritus, quamvis sit irritandus;
Quia tamen matrimonium ratione suæ
indissolubilitatis irritari non potest,
ideo in simili casu nec irritum est,
nec irritandum.

VIII. Adde, quod etiamsi univer-
sim sit ipso jure irritus contractus ce-
lebratus per dolum dantem illi cau-
sam, qui adhibeatur ab altero con-
trahente, ut docet Sanch. lib. 1. disp.
64. ex leg. laud. Et eleganter, ex de-
fectu consensus contrahentium; tamen
contractus matrimonialis (sicut et-
iam professio religiosa) celebratus
per eundem dolum in casu nostro est
validus; quia in matrimonio qualitas
Personæ non spectat ad substantiam
contractus, sed ad rationem impul-
sivam; ergo error circa illam non

Paris VII.

tollit consensum, nec voluntarium sim-
pliciter, ut docent communiter Do-
ctores.

Ratio a priori est, quia cum ma-
trimonium sit indissolubile (sicut et-
iam professio religiosa) incongruum
est, ut quis talem statum perpetuum
eligat dependenter ab aliis rebus ex-
trinsecis, & accidentariis præter eas,
quæ sunt de talis status substantia;
aliter multa matrimonia, & profes-
siones censenda essent irrita; quod
cederet in grave damnum, & scan-
dalum Reipublicæ: Quare dicendum
quod voluntas absoluta contrahendi
matrimonium, vel profitendi, cum
versetur circa statum fixum, & per-
petuum, includat virtualiter volunta-
tem eligendi talem statum, etiamsi
erretur in circumstantiis, & qualita-
tibus huic statui extrinsecis.

ARTICULUS III.

De Impedimento Conditionis servilis.

- I. *Matrimonium ignoranter contractum cum mancipiis jure Ecclesiastico est irritum; dummodo inter contrahentes habeatur inæqualitas.*
- II. *Servi, invito Dominis, valide, ac licite possunt matrimonium contrahere; dummodo non desint obsequiis debitis.*
- III. *Quando servus nequit simul Domino, & Uxori facere satis, prævalet jus Domini, si eo invito matrimonium contraxit; secus prævalet jus Uxoris.*
- IV. *Num possit aliquis sive liber, sive conjugatus seipsum venundare?*
- V. *Si alter conjux sit liber, alter servus, parius sequitur ventrem quoad servitutem; at sequitur Patrem quoad honores, & nobilitatem.*

Q

I. Cer.